Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

eis promisit vitam sed peccando · ad secundum
creaturis lavacrum penitendo · Confiteor tibi
deus ego peccator et reus me graviter pec
casse cogitatione locutione · opere et omissione
innumerabilia sunt peccata mea · et crimina mul
ta nimis · non enim tantum me in laqueis
adduxi peccatorum sed et multos qui mea per
suasione exemplo negligentia · vel occasione
alii peccaverunt · pro quorum et meis ob
nixe deprecor peccatis ut omnia nobis in
dulgeas misericorditer · et abstergas Amen

De ieiunio et temptationibus domini · xxii capitulum

Postquam dominus ihesus
fuit baptizatus · regressus est
ab Iordane plenus spiritu
sancto plenitudine superha
bundantiae de cuius plenitudine nos omnes
accepimus · Et incontinenti ac sine mora
ductus est spontanee in desertum · super quen
dam montem mire altitudinis dictum
quarantena · qui est inter iericho et iherusalem
distans a iericho duobus miliaribus · et
ab iherusalem duodecim vel circa · In predicto
deserto latrones morari solebant · qui locus
vocatur adomyn · quod sanguineum sonat ·
propter effusionem sanguinis quam ibi
latrones faciebant · Specialiter adomyn est
castellum ubi ille qui descendit ab iherusalem in ieri
cho incidit in latrones · quod circa medium
in via in latere australi montis oliveti
Causa ergo homo qui ibi incidisse dicitur
in latrones · gerebat figuram Christi · qui a de
monibus est victus · conveniens fuit · et
ibi hystorialiter · et secundum rem Christus
superaret dyabolum ubi figuraliter et
secundum similitudinem dyabolus dicitur
hominem superasse primum · Unde di
citur quod samaritanus eadem via descen
dit · quia carne indutus filius dei · qui est
custos hominum easdem temptationes ibi sustinu
it · Pugnaturus quidem ~~dyabolus~~ dominus
cum dyabolo in desertum secessit · com

nobis ostenderet · quod qui perfecte laqueos temp
tationum eius vult superare · non solum tur
bas demonum · sed etiam societatem ma
lorum hominum aliquando quidem corpore · sem
per autem mente · debet vitare et fugere · exemplo
illius · qui in regali aula · et inter turbas
populares positus dicebat · ecce elonga
vi fugiens · et mansi in solitudine · Nos
ergo exemplo Christi et Iohannis agamur
a spiritu sancto · non per spiritum a
maligno in desertum loci et solitudinis
vel saltem in deserto pectoris et contem
plationis · ut quieti a strepitu mundi de
o melius oremus · et mente seculum
deserentes quasi manna deserti · solam ce
lestia gaudia esurire discamus · Ductus
est igitur ihesus a spiritu sancto · quia huma
nitas Christi erat organum divinitatis et
ideo ad omnia agenda movebatur instinc
tu spiritus sancti · Hoc ergo motu ivit
in desertum locum · ut ibi spiritum in oratione
pro nobis deo patri offerret · et per ieiu
nium carnem innocentem pro nobis ma
ceret · exemplum quod fidelibus daret · ut
se deo per ieiunium et orationem offerant
Non ivit invitus sed voluntate pugnandi
et ut temptaretur a dyabolo per quod
insinuatur quod aggrediens desertum primo
fortius temptatur ab hoste · iuxta illud
Fili accedens ad servitutem dei sta in
iustitia et timore · et prepara animam tuam
ad temptationem · id est ad resistendum temp
tationi quae imminet tibi · Ideo ductus est a spiritu
sancto · qui eum designaverat in baptismo
quia quos ille replet · mittit ad pug
nam · et prebet eis fortitudinem · Ideo
dicitur voluit in desertum id est in locum est
caminus et in quo pugnavit asperis · qui
adam in paradiso deliciis affluens · victus
est oblectamentis · Ideo temptari voluit
ut temptationes superando nobis potestatem
superandi tribueret · sicut et mori voluit

que de iericho ducit in iherusalem apte australis deserti
quarantene · deinde est bethania et bethphage et iherusalem et
iste via